Incipit capitulum libri secundi de natura plantarum. Et de rebus communibus cultui cuiuslibet generis agrorum.

Quoniam in superiori libro de hiis que necessaria sunt saluti habitantium rura quedam utilia scripsimus consequenter de ipsorum operationibus in villis exercitandis dicendum est. Verum quia ruris exercitia variantur secundum varietatem plantarum locorum et temporum quorum diversitas sine notitia nature plantarum et partium ipsarum eorum etiam que plantis necessaria sunt perfecte cognosci non potest. De hiis in hoc secundo libro agendum est. Et quia quedam sunt communia cultui cuiuslibet generis agrorum. De hiis etiam in eo libro dicetur. Dicam itaque in primis. De hiis que omnia plante conveniunt secundum generationis principia. De hiis que omni plante conveniunt secundum generationis principia. Rubrica

In plantarum generatione secundum fratrem Albertum sunt septem sine quibus nulla omnino nascitur planta. Quarum tria sunt quasi efficientia. calor videlicet. celestis tertii qui est primum et vivificum principium plantarum. Secundum est conveniens calor loci quia si fuerit in loco sit virtus frigoris mortificativa non suscipiet virtutem caloris celestis tertii. Similiter si locus vehementer sit adustus et aridus sicut arenarum et eius quod vocatur mortuum sabulum eo quod non est talis locus susceptivus celestis virtutis plantas vivificandi. Tertium autem est calor qui materie seminali quecumque illa sit inheret. quia si in illo aut non esset receptiva caloris vivifici aut receptio caloris non esset receptiva. Et numquam formaretur ex ipsa plantarum aliquid sed evanesceret per evaporationem. Pertinent autem hec ad opera rusticationis. Quoniam in quibusdam plantis cum primum formantur et sunt tenelle valde umbraculi opus fieri ut calore solis non evanescant sicut in exsculptis pullulantibus cipressi vel ficus. Quarta autem sunt substantia substa-